

Wiener Stadt-Bibliothek.


12035

A



Schrötter,

Disputationes medicae tres



DISPUTATIONES

MEDICAE TRES, IN INCLYTA

MEDICORVM SCHOLA VIENNAE

Austriae à Ioan. Schrôtero Vinariensi, pro-

positæ, vt clariss. viris Medicæ artis

ibidem Doctoribus, præceptoribus

suis obseruandis. suorum stu-

diorum rationem red-

deret.



VIENNAE AVSTRIAE

excudebat Egidius Aquila,

Anno

M. D. LI.

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE

ST. JAMES'S PLACE



MAGNIFICO ET

EXCELLENTISS. VIRO, D.

GEORGIO FUGGERO, DOMINO

in Kirchberg & Weissenhorn, Sac. Caf. &

Reg. Mai. Consiliario, Do. & patrono

suo colendiß. Ioan. Schröter.

Cum superioribus mensibus, Georgi Fuggere, vir excellentiß. ex Italiae studijs ad uxorem liberosque meos carissimos Viennam redirem, vir optimus Michael Meule, qui Ex. T. ac inclytæ vestræ familiæ negocia summa fide apud nos administrat, mihi multa de virtutibus tuis, ac singulari in optimis artibus profectu, excellentique earum cognitione, Mathematicarum maxime artium, in quibus ita te profecisse intelligo, vt etiam cum summis artificibus conferri possis, iucundè narrabat. Qui sermo, cum eum postea mihi sepius renouaret, quando salutandi gratia eum accessissem, quod frequenter accidit, me tibi ita deuinxit, vt diu multumque cogitarim, qua potissimum ratione me T. E. insinuare possem. Sed rerum mearum statum in his cogitationibus memoria repetenti mihi aliæ & quidem plures causæ occurrerunt, quæ me ab his ipsis cogitationibus retraxerunt. Nam etsi optimè noueram, singularem vestræ familiæ esse bonitatem, qua multi hac ætate ad eruditionis summæ fastigia peruenerunt: tamen meæ vitæ ratio ea hætenus fuit, vt id me tentare non satis commodum fuerit. Ita enim à primo ætatis tempore me-

am institueram vitam, ne cui vnquam molestias adferrem. At in hoc rerum cursu, vbi optimus quisque clarorum virorum studia consequi desiderat, aliter mihi faciendum video: ac vt non molestum esse animaduerto, magnis viris ipsorum studia & benevolentiam à nostri ordinis hominibus expeti, ita video multos inuitari, vt benevolentiam ipsorum experiantur. Hæc cum ita esse intelligam, ego omni pudore pristino abiectò, T. Excellentie Iacobe Fuggere, me credere volui. Et quoniam has Medicas dissertationes à me in hac inclyta Medicorum Viennensium schola scriptas, ac publica disputatione discussas, certis quibusdam de causis edere instituissem, T. Excellentie easdem inscribendas duxi, vt T. Ex. cui me totum tradere cupio, videat, quid de me expectare postea debeat. Spero aut, queadmodum ex alijs præclaris vestris factis conijcio, T. Ex. hoc meum institutum non ingratum fore, maximè cum ab optimo animo proficiscatur: & ego posthac ita viuere decreuerim, ne T. Ex. vnquam pœniteat, me in numerum tuorum clientum receptum fuisse. Benè & feliciter vale
Vienna. Calend. Decemb. Anno 1551.

PRAESIDE D. FRANCISCO

Emerico, medicinæ Doctore præstantissimo,
Ioannes Schröter Vinariensis has sequen-
tes positiones defendit, die 8. Au-
gusti Ann. 1550.

V. MORBI, QUI EX REPLETIONE FIVNT,
EVACVATIONE CVRARI POSSINT.

I.

*Cùm in Medicina contraria contrarijs curentur, poni-
mus repletionem siue plenitudinem per euacuantia tol-
lendam esse.*

II.

*Plenitudo autem duplex est, Altera vasorum, altera
virtutis.*

III.

*Vasorum, quando vasa humoribus redundant, adeò vt
distendantur.*

IIII.

*Virtutis plenitudo tantùm ad virtutem siue naturam,
quæ corpora gubernat, refertur, etiamsi vasa non disten-
dantur.*

V.

*Fit enim tum humores inficiendo, tum in membra im-
becilliora fluxionem immittendo.*

VI.

*Cacoehymia, quæ est succi prauitas, non propriè ad ple-
nitudinem vasorum pertinet: non enim vasa extendit,
nec tumorem, nec grauitatem inducit, sed ad plenitudi-
nem, quo ad vires, quia virtutem prosterne.*

VII.

Videndum autem est diligenter, quibus euacuationibus in plenitudine vtendum est. Vasorum enim inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & benè tolerant.

VIII.

Alia etenim venæ incisione, alia alui deductione, alia aliter fit.

IX.

In plethoria vtilius per emissionem sanguinis fit euacuatio.

X.

In cacochymia per alui purgationem.

XI.

Indicatio autem quantitatis ex morbo & viribus egrotantis sumenda est.

XII.

Sæpe tamen eam, quæ ex morbo animaduertitur, corrigit alia ex viribus egrotantis sumta.

XIII.

Si verò vtræque coincidunt, faciendum est sine mora id quod indicant.

Conclusio.

Eruditè itaque Hippo. inquit: Quicumque morbi ex repletionem fiunt, curat euacuatio.

V. IN PRINCIPIO MORBI CVRATIONEM
A FORTIORIBVS INCIPERE LICEAT.

I.

Emperici grauitè errant, qui in principio morbi curationem à fortioribus incoant, vt febrim curationem à forti

forti laxatio, obstructions à fortissimis aperitiuis.

II.

Vt sudor in principio paroxismi malum motum materiæ indicat, ita pharmaco materia ab initio mota malè mouetur.

III.

Nam cum succi adhuc sunt crudi, & ad motum pigri & inepti, moti autem in angustijs vijs impacti obstructions excitant, vnde agitur tantum materia, & non euacuatur.

III.

Semper autem in euacuationibus, quæ fiunt per aluum à lenioribus incipiendum est.

V.

Concocta sunt medicanda, cruda non mouenda.

VI.

Corpora quæ purgare volueris, prius fluida sunt facienda.

VII.

In magnis tamen morbis statim à principio euacuatione vtendum est.

VIII.

In ijs præsertim, in quibus materia turget, aut nulla indicatio expectatur, sed mox ad summum vigorem perueniunt.

IX.

Sic enim disertè Hippo. dixit: Extremis morbis extreme exquisita remedia optima sunt.

Conclusio.

Non itaque in principio morbi à fortioribus incipiendū est, nisi summa necessitas exigat.

PRO DECLARATIONE APHO-
RISMI XVI. TERTIAE SECTIONIS, AD
has sequentes propositiones, clariss. viro, D.
Mathia Cornario, medicæ artis Doctore,
præsidente, Io. Schröter respondit.

I.

Ex immoderatis anni temporum mutationibus morbos fieri experientia & ratio docent.

II.

Est enim morbus affectus præter naturã primò lædens operationem, quod fit vel mutatis primis qualitatibus, vel alijs ex ijs compositis.

III.

Aëris autem intemperies labefaciat temperaturam primorum corporum seu qualitatum.

IIII.

Id vicissim ex certo motu & cursu siderum, quæ pro suo positu ex commixtione aërem mutant, accidit.

V.

Positus enim & commixtio eorum indicant, quæ, quomodo & quando mutantur tempora.

VI.

Alij autem positus commixtionesque siccitatem, alij humiditatem multitudinemque pluviarum monstrant.

VII.

Ex pluviarum multitudine rectè Hippocrates dicit, longas fieri febres, alui profluvia, putredines, morbos comitiales, apoplexiam, & anginas.

VIII.

In siccitatibus autem & alijs cœli constitutionibus alios esse morbos, qui inde manant, emerguntque.

IX.

Docet enim hoc natura morborum.

X.

Ergo ambientis nos aëris statum cœlique constitutionem, cum morbis vigentibus populariterque grassantibus coniungere prudentes Medicos oportet.

XI.

Incognito enim hoc incommodo, neque morbos futuros providere, neque occurrere orientibus, aut qui iam homines inuaserunt, curare possumus.

XII.

Incommodum hoc causas morbi monstrat, quibus perspectis commodissimè & pharmaca & victus ratio, maximè conuenientia præscribi possunt.

XIII.

Si enim cœli status morbos siccos promittit, danda opera est, vt corpora contraria victus ratione nutriamus: ita etiam si humidi morbi portendatur, cibos exiccantes præbere oportet.

XIIII.

Hac ratione futuros morbos auertet fugabitque, vel grassantes, maxima cum vtilitate & gloria, curabit Medicus prudens.

XV.

Grauis itaque eorum error est, qui negant sidera in aëra nihil præter serenitatem, imbres, ventos, &c. inducere.

XVI.

Magis etiam ij errare videntur , qui in magnis mutationibus sine vlla cogente necessitate medicinas exhibent.

XVII.

Id enim & rationi & experientia , quibus ars Medica fundata est , maxime aduersatur.

XVIII.

Rectè itaque Hippocrates in medicamentorum administratione non solum Solis et Luna defectiones, aliasq; stellarum magnas configurationes, verum vtrumque etiam cum Aequinoctium tum Solstitium considerari iubet.

XIX.

Adfirmamus etiam Hippocratem aphorismos tertij libri de anni mutationibus, item libros epidemiorum, atque librum de aëre, aquis & locis, propterea conscripsisse, vt eiusmodi, ex arte Astronomica, animaduersis & notatis signis, omnia instrumenta Medica dexterius maioreque cum hominum vtilitate exerceremus.

XX.

Non autem omnes morbos cœlitus fieri, aut ex stellarum commistione emergere necessarium est.

XXI.

Alij enim ex sola victus ratione eueniunt, qui Dispersi vocantur.

XXII.

Alij autem ex communi causa, hoc est, aëre, quando multi eodem tempore simul egrotant, fiunt, et dicuntur

παγκοινοί.

XXIII.

Sunt autem duplices: Alter Endemius, alter Epidemius vocatur.

XXIII.

Epidemius iterum duplex est: Simplex & Pestilentialis. De ijs Hippocrates in nominatis locis loquitur.

XXV.

Soli enim isti cœlitus fiunt, atq; de his ex siderum cursu & motu, Solis Lunaque defectiōibus præfensiones sumimus.

XXVI.

Simplices autem Epidemij fiunt ex mutationibus temporum, quæ qualescunque cœlestes configurationes in aëra inducunt.

XXVII.

Pestilentiales iterum duplices sunt: Simples & misti.

XXVIII.

Simplices, qui ex Luminarium defectiōibus stellis que crinitis, aut planè infauis stellarum fiunt positionibus, quibus aër maximè inficitur.

XXIX.

Mistæ pestilentiae ex his et alijs postea putridis vel vehementissimè siccis constitutionibus commiscuntur.

XXX.

Endemij autem morbi solùm ex putridis iniquationibus fiunt, veluti stagnis, lacubus, paludibus, antris, barathrisque, ex quibus in aëra prauæ fiunt expirationes: item ex cibo vel potu infecto, vnde eiusmodi morbi contingere solent.

In collegio Medicorum, hora VII. antemeridiana, die
XXIII. Octob. Et postea VI. Nouemb. repetita.

Ann. M. D. LI.

PRO DECLARATIONE CAP.

LXXXIII. ARTIS GAL. AD HAS POSI-
tiones, hum. viro Ioan. Læffelholzio, fa-
cultatis Medicæ artis pro tempore De-
cano, Ioan. Schröter respon-
dit 27. Nouemb. hora 7.
antemeridiana.

I.

*In medendis curandisq; præter naturam adfectionibus,
quæ in hominibus functiones lædunt, causam earum
antea à Medico considerari necesse est.*

II.

*Est enim Medici officium, vt vnicuique morbo oppor-
tunum adinueniat medicamentum.*

III.

*Id morbo incognito nullo modo cum ægrotantis com-
modo facere potest.*

IIII.

*Nam morbi cognitio principium est artis seu viæ, qua
remedia conuenientia inueniri debent.*

V.

*Cognoscitur autem morbus ex causis, vnde indicatio-
nes curandi postea sumuntur.*

VI.

*Si quis enim causas corporis affecti probè cognouit, po-
test aptè ea adferre, quæ corpori maximè commodant.*

VII.

*Sed causarum cognitio non solum ad morbum remo-
uendum, verum ad sanitatem etiam conseruandam ma-
ximè proderit.*

VIII.

Causa enim est quæ aliquid confert ad generationem.

IX.

Rectè itaque Galenus causas, vt corpora distinctas, alias salubres, alias morbosas, alias neutras esse dicit.

X.

Non autem hoc loco de materialibus causis agit, vt quidam absurdè opinati sunt, sed de efficientibus.

XI.

Earum autem causarum quædam sunt conseruatrices, quædam effectrices.

XII.

Est præterea quædam ex his mista, & dicitur composita, eaq; solum salubres respicit.

XIII.

Conseruantes & præseruatiuæ latitudinem habent.

XIIII.

Conseruatrices ad sanitatem corporum referuntur, primò vt semper, deinde vt multum.

XV.

Talia corpora cum habeant maximam salubritatem, conseruationem tantum requirunt.

XVI.

Similia autem similibus conseruantur, & à contrarijs corrumpuntur.

XVII.

Ita calida calidioribus conuenire dicimus.

XVIII.

Corporibus salubribus vt nunc, cum adhuc à perfectione multum absint, tum conseruantes tum compositæ causæ applicari possunt.

XIX.

Causarum verò apud nonnullos Medicos diuisiones non omnes probamus.

XX.

Nam quasdam omiserunt, quasdam verò sub alijs causis intelligi voluerunt, idq; præposterè

XXI.

Non rectè quidam omittunt causam instrumentalem.

XXII.

Neq; enim superflua est, neq; reduci inter agentes potest.

XXIII.

Coniunctam etiam esse aliquam causam, eamq; à Galeno cognitam constanter affirmamus.

XXIII.

Non autem esse eandem cū contentiua, vt quidam existimant.

XXV.

Hæc enim essentiam rei constituit, illa nequaquam.

QUESTIONIS, VTRVM OCCULTA
vis insit medicamentis, positiones.

I.

Medicamentorū differentie à tribus, scilicet ab essentia, à facultatibus, ab actionibus, tanquam tribus principijs oriuntur.

II.

Essentiam autem medicamentorum dupliciter consideramus, vel secundum proximam materiam, vel secundū substantialem, vt vocant, formam.

III.

Medicamenta secundum materiã considerata, quasdam habent differentias, quæ sunt tanquam habitus quidã actu existentes: quasdam verò, quæ sunt meræ potentie.

III.

Differentiæ formarum variorum medicamentorum sumuntur penes dominium, vel æqualitatem primarum qualitatum, ex quarum proportione resultat temperatura.

V.

Temperaturam non intelligimus ipsas qualitates, sed quod in singulis temperaturis in actione vel passione mixtorum apparet actus alicuius qualitatis magis et minus secundũ variam mixtionem.

VI.

Formam autem medicamentorum aliquid diuinius esse assero, quàm vt eius causæ à Medico inquiri possint.

VII.

Igitur occultam vim medicamenti ratione formæ inesse asserimus.

F I N I S .

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

.111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

10946

or

